

## R̄mus P. Nicolaus Mansione (1741-1823)

Nemo hucusque de quarto nostro Rectore Maiore plura conscripsit quam R. P. Kuntz in Commentariis suis, vol. V, p. 482-490 et vol. XIX, p. 75-88. Inde praecipue haec notitiae desumptae sunt.

Nicolaus Mansione natus est parentibus piis, at minime deditibus, Kal. Aug. 1741 in oppido Polla, dioecesis Caputaquensis (*Capaccio*, prov. *Salerno*), ibique in sancto timore Dei pueritiam transegit piissimam, excepto certo tempore, quo ludimagistrum amiserat et mali amici familiaritate utebatur. Decennis in domo paterna habitum ecclesiasticum iam diu desideratum induere permisus est, et quarto anno post recepit tonsuram ordinesque minores.

Secutus exemplum condiscipuli Felicis Cancer, qui Alfonsiano Instituto a. 1756 se aggregarat<sup>1</sup>, sabbato 25 Iun. 1757 e mundo periculorum pleno aufugit, fortiter spernens lacrimas precesque genitricis ac trium sororum.

---

<sup>1</sup> Iam a. 1759 in Iuranensi collegio cum eximiae perfectionis fama cursum terrestrem finivit. Cfr. CLAUD. BENEDETTI, *Album*, p. 89-92.

S. Alfonsus adolescentulum, qui humanitatis studia nondum absolverat et familiae suae necessarius videbatur, primum recipere noluit, at postea sic effatus est: *Io ti ricevo, perchè la Madonna ti vuole nella Congregazione.*

Primo tirocinii tempore contigit Nicolao, festo Assumptionis B. M. V. religiosa ueste induito, ut quotidie videret et audiret S. Fundatorem, quippe qui vespertinam recreationem cum novitiis carissimis peragere soleret, eos tum sermonibus tum piis canticis ad caelestium amorem inflammans. Verum exeunte Septembri novitiatus in Ilicetanam solitudinem translatus est indeque sequente aestate Iuranos, ubi Fr. Mansione 15 Aug. 1758 in manus P. Petri Pauli Blasucci vota nuncupavit.

Quanto animi fervore studiorum tempus transegerit, elucet ex eius ephemeride adhuc exstante. Ad sacerdotium promotus est Cavae d. 22 Sept. 1764 ab illo amico S. Alfonsi eximio, Episcopo Nicolao Borgia. Brevi post missus est Agrigentum in Siciliam, ubi mordicus fervidum vitae tenorem retinuit. P. Blasucci, ibi canonicam visitationem instituens, 10 Oct. 1766 Patri Villani scribere potuit: *Il P. Mansione è un bravo giovane, sodo e quieto. Tanto basta. Ha giudizio e prudenza. Non è ignorante. Predica bene e attende a farsi i fatti suoi.*

De apostolatu a P. Mansione hoc tempore explicato documenta desiderantur. Eius in Sicilia commoratio usque ad mensem Iulium a. 1773 producta esse creditur, quo tempore scilicet S. Alfonsus ob malorum insectationes suos e Sicilia revocavit. Novam sedem P. Mansione habuit in collegio Capitis Silari seu Matrisdomini, et probabilissima opinio fert eum ibidem remansisse, quando a. 1775 nostri in Siciliam reversi sunt. Certe qua Vocalis illius collegii intervenit Capitulo generali anni 1783, quod Nuceriae celebratum est ad eligendum S. Fundatori Coadiutorem.

Sic igitur producta est Mansionis commoratio Matredomini usque ad Iulium anni 1786, quo mense in locum P. Deodati Criscuoli suffectus est Rector collegii Paganensis. Et sic factum est, ut morienti S. Alfonso extremam unctionem administrare et sanctum Viaticum porrigeret d. 23 Jul. 1787 potuerit mortuumque d. 2 Augusti ad sepulchrum portare.

Transacto triennio in suum qua Rectoris locum suffectum vidit P. Laurentium Negri, sed a. 1791 iterum Nucerino collegio praepositus est, et qua talis Capitulo generali anni 1793 interfuit, quod eum ad dignitatem Consultoris generalis evexit.

Posthaec d. 23 Augusti 1797 comparuit ut testis in processu inchoativo Apostolico beatificationis S. Alfonsi. A. 1804 denuo in Siciliam missus est ad inchoandam domum Panormitanam, vulgo nuncupatam ab Auditore. Id perfecit mense Maio illius anni, una cum P. Blasio Panzuti, duobus clericis Paschale del Buono et Raphaële Barba Fratreque laico Paschale Tarentino. Mense Septembri dein Saccam et Agrigentum se contulit ad

instituendam canonicam visitationem. Quinimmo d. 14 Febr. 1806 Rñus P. Blasucci eum nominavit suum pro Sicilia Vicarium seu Deputatum, ergo quodammodo Superiorem Provincialem.

Tamen idem Rector Maior a. 1815 Patrem Mansione, quem plurimi faciebat, e Sicilia revocavit, ut apud Iuranos novitiatum, propter invasionem Gallorum inde ab a. 1807 plane interruptum, redintegraret. Patre Blasucci d. 13 Iun. 1817 e vivis sublato, P. Mansione, et ipse iam grandaevus, Congregationem totam gubernavit primum qua Vicarius Generalis, et inde a d. 26 Septembris, qua Rector Maior, in primo scrutinio a 20 ex 31 Capitularibus ad supremum hoc munus electus.

Sub effigie eius in collegio Paganensi asservato legitur brevis haec laudatio: «...toto vitae decursu gravitate morum, aequabilitate, accurata Regularum observantia, tum vigili cura et paterna in regendo suavitate regiam sibi ad caelos munivit viam». Placet quoque antiquissimi Catalogi (fol. 22) verba argumentosa hic exscribere: *Il suo governo fu dolce, compassionevole, e pieno di carità secondo il suo spirito; ed in sua vita da privato, e da Rettore, e da Delegato in Sicilia, sempre pacifco, umile, osservante; è stato pianto, ma specialmente da' Giovani, e da' nostri Figlioli, di cui era amantissimo: Utinam ne avessimo molti altri.*

Nonnullas eius epistolas universalioris momenti videre est in Documentis Miscellaneis, p. 207-219. Anno 1818 a S. Sede obtinuit Rescriptum constituendi Vicarios Provinciales<sup>1</sup>, de quibus ceterum iam in Capitulo a. 1793 abunde sermo fuerat, immo peculiaris Constitutio exarata erat<sup>2</sup>. At temporis adiuncta rei non favebant.

Supremo Moderatore P. Mansione Congregatio in Italia tribus domibus adiecta est, videlicet Aquilana (*Aquila*), Coriolanensi (*Corigliano in Calabria*) et Francavillana (*Francavilla Fontana*). Sola haec ultima hodieum exstat. P. Berthe in vita S. Alfonsi scribit (II, 661) eum a. 1818 etiam domum Casertanam condidisse, sed in hoc errat, cum demum d. 18 Iul. 1824 rex Ferdinandus I Rñum P. Cocco in huius domus prope regium palatium sitae possessionem introduxerit<sup>3</sup>, et in actis Capituli gen. a. 1823

<sup>1</sup> *Acta Capitulorum* n. 579, p. 244.

<sup>2</sup> L. c. n. 250-252, 256, 452. — Etiam ultimum decretum Capituli a. 1817 (ib. n. 578) agit de Delegato Rectoris Maioris pro Sicilia, Calabria et Ditione Pontificia.

<sup>3</sup> *Ultimi Uffizi resi alla veneranda memoria di Monsignor D. Celestino M. Cocco* (Napoli 1857), p. 21. P. Kuntz in Commentariis suis, vol. XIX, p. 162-165, refert etiam textum Bullae Leonis PP. XII 22 Iun. 1824 *Regularium Congregationes* (Pontifex, a rege Ferdinando I rogatus, concedit, in favorem fundandae domus nostrae Casertanae, dotationem 1600 ducatorum super tertia parte pensionabili reddituum quinque Episcoporum regni) atque alia liberalitatis regiae testimonia. P. Cocco autem statim d. 20 Iul. 1824 pro sodalibus in hac domo viventibus peculiares dedit normas (*Doc. Misc.*, p. 247-249).